

Q.K.128.12.

בשם אלוה טהרה שנת טוביה :

Wh
784

CORONA ORBIS ANNUI & SCHVVARZBURGICI

IN ACTU ORATORIO

Hebraico-Græco-Latino-Germanico
cum votis pro felici novi anni auspicio

In Schola Francohusana d. Januar. A. 1702.
conspicui exhibenda,

ad cujus oratiunculas in prosa & ligata
audiendas

Summè. Venerabiles

DNN. SUPERIORES INSPECTO-
RES, ac universum LITERATORUM
hisce studiis faventium ordinem
submissè, honorificè ac officiosè invitat

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

M. JOHANNES Hoffmann/ S. F. R.

Anno

En nos paLMa DeI Largå bonItate Coronat!

ERFFURTI, Typis GEORG. HENRICI MÜLLERI.





I quo unquam anno, in superiores, si devotâ memoriâ nostrâ regredimur, Deus bonitatem optimus & potentiam maximus infinitam suam bonitatem & clementiam oculis nostris tum corporis tum animi spectandam & agnoscendam non sine bono omni exhibuit, profectò est hic ipse annus & quidem seculi decimi octavi primus, cui cum Deo paucis post diebus coronidem imponemus. Etenim quando omnes totius anni quadrantes, menses, hebdomades, dies in modo horas perlustramus, singulis singula Numinis benignissimi beneficia ex Amaltheo quasi cornu copiosissime promanantia in gremium nostrum effunduntur. Hinc pictissimus Hieropsaltes annua hæc beneficia eaq; concatenata altiori mentis indagine examinans non potest sibi temperare quin exclamat: *Coronas annum bonitate tuâ, sive ut verba in ipso fonte & versione LXX. Interps. se habent τέλεσθαι την θυσίαν εποδοτει τὸν σεφαρον τοῦ εὐαγγελίου τόπον, benedices corone anni benignitatis tuae.* Brevis sententia, si numerum spectemus; si verò pondus longissima quam dignè enucleare spatij præfixi angustiâ excludimur. Quod Tullius de Euripide seribit, singulos ejus versus testimonia singula esse; Id longè rectius atque verius de hoc Vate nostro sacro dici potest, cujus non singuli tantum versus, sed verba quoque singula ponderis momentique habent plurimum. Repræsentat autem annum sub speciosissimâ & favillissimâ CORONÆ & virginis coronatæ imagine, quæ omnium oculos in se convertit, & in admirationem sui deducit. Quanta autem coronarum dignitas ob pulchritudinem quâ splendent, apud veteres, in modo quâ hodierno adhuc die illæ superbiant, & quam frequentissimus earundem fuerit usus, ex historiarum monumentis & quotidiana experientia edocemur. Et sane sunt in coronis & fertis multa notatu dignissima, quæ similitudinem cum anno magnam habere videntur. Etenim coronæ seu ferta florum multitudo ne abundant, utilitate prosunt, jucunditatem magnam afferunt & varietate suâ plurimum delectant, quæ omnia ad orbis anni coronam applicari posse, quis est tam inscrutus, qui non intelligat? Taceo quod coronæ ut orbis annus, orbicæ figuræ cum sint, in se ipsas redeant, Alia collationis membra sedulis beneficiorum divinorum testimatoribus relinquimus. Hæc

Hæc

Haec anni orbis corona ad orbis Schwärburgici coronas; quibus sumus premus Monarcha Patriam nostram Schwärburgicam, cum primis Lineæ Rudolphopolitanæ, non sine mirificâ omnium subditorum lætitia exornavit, curatiū spectandas, ut paulo post videbimus, ansam præbuit, utraque vero ad veteres & hodiernas coronas, & quidem quoad earundem onomatologiam, antiquitatem, varietatem, emblematicam & nummariam considerationem unâ intuendas me induxerat. Cum vero partim ex variis quorum copia mihi fieri poterat, scriptoribus partim ex communicationibus partim ex propriis observationibus, alibi a me non observatis, notatu digniora enucleassent, materia sub manibus ita crevit, ut in prolixitatem Programmati inconvenientem excresceret, hinc Patronus quidam & Schoæ & mihi faventissimus, cuius autoritas apud me semper est sanctissima, autor svasorque extitit, ut lucubratiunculas illas coronarias peculiari opusculo in lucem edendo reservarem. Cum itaque vox Patroni vox DEI habeatur, consilio huic fidelissimo refragari nolo, sed simulac de Bibliopolâ im pensa faciente certus fuero, cum DEO faciam, ut haec commensatiuncula Philologico-historica non quidem in Docentium, sed dissentium gratiam propediem luci exponatur. Sed ut ad coronam orbis anni revertar, de illâ pauca quædam non considerabimus, sed enumerabimus, quam si ad quoddam emblema referri vellemus, manus e nubibus promiunens cornuque copia tenens pingi posset, ex quo variaz coronæ effunduntur, cum Lemmate: *Annum bonitate corono.* Fugitivis saltim oculis spectaturi singulas, secundum singulas anni partes, coronas, deprehendimus coronam vernam, que omnium videtur amoenissima. Nam ut Poëta canit:

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis ætas,

Tunc frondent Sylvæ, tunc formosissimus annus.

Etenim tunc purpureæ violæ, coerulej hyacinthi, aliique flores innumerabiles, alii niveo alii coccineo, alii croceo, alii alio colore oculos & narres demulcent. Nec aures & palatum suis deliciis carent. Nullam unquam tam suavem reperire Musicam possumus, quam cum dulcissimo avicularum concentu hoc anni tempore conferamus. Nec desunt esculenta copiosa & utilia, nempe butyrum, lac, casei, vituli, agni, pisces & id genus alia quamplurima, in cujus anni parte amoenissima describenda Poëta toti sunt, qui legi poterunt. En pulcherrimam veris coronam! Quis enumeret, quanta æstivi temporis libertas, quanta utilitas nobis suppeditetur. Tunc enim pubescens atque in culmos sese erigens seges concoquitur, pastus animantibus largissimus exhibetur, esse variaz hominibus præbentus,

nempe attagenes, perdices, turdi, varii generis pisces fructusque aestivae ex
hortis & agris benè cultis provenientes. O pulcherrimam aestivam co-
ronam ! quam integrum oculis exhibere, & hic spatij angustia excludimur.
Pergimus ad coronam autumnalem. Hanc quidem cum hyemali Ovidius
anni coronam describens ab annua corona videtur excludere, dum saltim
coronæ vernæ & aestivæ in sequentibus Versibus mentionem injicit ;

Stabat (inquietus) nuda astas, & spica ferta gerebat :
Vergæ novum stabat cinctum florente corona :

De reliquæ vita :

Stabat & autumnus calcata sordidus uvæ :

Et glacialis hyems, canos hirsuta capillos.

Sed noster Poëta & Prophetæ in dicto Psalmo Nasoni contradicit , dum
totum annum, quoad singulas ejus partes, à Deo coronari hoc est, pluri-
mis fructibus ornari ad oculum demonstrat. Meretur igitur & autu-
mnus suam coronam. Hic dat plenis saccis & coribibus omnia pomorum
& pyrorum genera , quorum gustatus non solum , sed odo-
ratus quoque & aspectus nobis est jucundissimus. Offert porro nobis
anseres, alaudas, turdos, rubeculas, rusticulas, lepores aliasque feras. Et
quis omnia beneficiorum genera & hujus anni partis enumerare valet, in-
ter quæ munera vinifera non ultimum locum obtinent. O jucundissi-
mam anni coronam autumnalem ! Nec tempus brumale suâ destituitur
corona. Hyems licet dura sit & canos hirsuta capillos , ut cum Poëta
loquar, suas tamen utilitates non contemnendas habet, dum frigore ter-
ram constringit, ne vapores noxios emitat, dum nive ea, quæ fata sunt,
à coeli injuriâ defendit ac tepefacit. Plerumque etiam pestis, alio tem-
pore grassata , Hyeme subsistit. Quam svavia cœlenta hyems etiam
nempè pernas suillas, gallinas pingves, cervos, capreolos, apros , pisces,
qua hyeme longe sapidores sunt, quam æstate , quæ plerique fortificant,
aliaque ciborum delicatissimorum genera præbeat, ipsa docet experientia.
Taceo, quod somnus tunc largior concedatur, viresque æstatis astu ener-
vatæ, interpositâ modicâ quiete, revocentur , & ad reliquum anni tempus
instaurentur. Sanè verni temporis amoenitas nobis tam grata non esset,
hyemis asperitas nisi antecederet. O delectabilem anni coronam hyema-
lem ! Hunc primum novi Seculi annum silentio hic præterire nequeo ,
quem Numen ditissimum non sine bono omniæ pulcherrima uberrimæ
benedictionis corona ex immensa gratia ornavit & cumulavit , ut gratia-
rum satis non habeamus, quas ipsi agamus solvamusque. Hinc merito
cum Regio psalte nobis exclamandum est ; *Annum bonitate tua coronas,*

Quo-



Quotusquisque nostrum est, ut reliqua benedictionis genera taceam, qui non videat, quam largissimā vini copiā superiores annos plerosque steriles ex mera gratiā & misericordia compensaverit. Nec possum non cum benevoli tamen Lectoris pace votum meum superiori, & præsenti anno conceptum, gratique mentis tesseram erga Numen benignissimum hic insere, quod tale fuit;

Post annos septem steriles Aegyptius orbis

A. 1700. d. 20.

Frugiferos alios septem perceperat alii:

Octobr.

Post statum sexenne carens vino Deus, opto,

Viniferos posthac annos sex reddat ad usum.

Aliud:

Pro paucis Jovis grates quoq; reddimus uvis:

Augeat has paucas ejus & alma manus.

*

Ante annum devoto animo que vota peregi,

A. 1071. d. 12.

Viniferos posthac nobis reddat DEUS annos,

Octobr.

His in præsenti clemens subscribere caput.

Hactenus impensas dum divite fauore nobis

Jam compensavit, pro quo sit gratia multa.

Ipsi cum votis multis, benedictio cepta.

In nos & posthac clementer porrò redunderet,

Aliud:

Non jam vasa suo vino, sed vina carere.

Vasibus, en testis quilibet esse potest.

Non jam defectum vini, sed vasa queruntur

Et querunt, vintum quæ onerare queant.

Omnis implentar largi Bacchi : DEUS undam.

In vinum vertens nobile, VIVIT AD HUC.

Hic notandum, quod hæ quatuor anni partes sub certis imaginibus repre-
sententur, nempe ver sub puella in ueste viridi floribus plena, iisdemque
coronata, sinistrâ aviculam, cui colludit, flores dextrâ præferente; Aë-
stas sub puella robustâ in ueste flavâ cum corona è spicis, dextrâ faciem ac-
censam gerente; Autumnus sub puellâ in ueste prolixâ, uvisque coronata,
cornu copiæ fructibus plenum ostendente; Hyems sub fene cano pellibus
vestito & ad ignem sedente. Coronidis loco ad CORONAS orbis Schwyvarz-
burgici & quidem in præsenti ad illas, quibus divina Majestas superiorem

A 3

&c in



Et inferiorem Lineæ Rudolphopolitanæ comitatum clementissimè exornavit, vcnerabundo animo me conseruo, easdem fugitivis saltim oculis, quantum spatii angustia splendorque oculos præstringens, concedit, delibaturus. Numen autem benignissimum singulis fermè mensibus, singulas coronas easque fulgentissimas patriæ nostræ clementissimè dono redisse letissimi deprehendimus, quarum, ut supremum locum obtinet clementissimus noster patriæ PATER, ita ab eodem initium capitum, qui secundum stylo Julianum natus est d. 2. Martii, a quo veteres atrum auspicati sunt, A. 1641. Ut consuetam mensum seriem observare licet, sequitur, tribus omisssis, JULIUS & quidem dies ejusdem XVIII, qui anno 1698. dedit nobis Albertum Antonium II. Augustus ejusdemque dies XIV. attulit nobis Fridericum Antonium, natum A. 1692. Idem mensis felicissimus & quidem XIX. dies donavit nobis pientissimam & munificentissimam Patriæ Matrem Æmiliam Julianam natam A. 1637. September ejusque dies IX. exhibuit nobis Annam Sophiam natam An. 1700. Octobris dies XV. (odiem toti patriæ beneominatum alboque lapillo notandum!) nobis Ludovicum Fridericum natum A. 1667. & immediatè sequens XVI. octobris sistit Sophiam Julianam natam A. 1694. Decembris dies XXII. indulxit nobis serenissimam & clementissimam nostram Principem Annam Sophiam natam An. 1670. Februarius rāndem ejusque dies XV. præsentavit nobis Willbelnum Ludovicum natum An. 1696. Sed CORONAS has laudatissimas in unam quasi CORONAM metricam colligere votoque novennali, pietate sic jubeante, includere tentabo:

Floreat ALBERT-ANTONIUS cunctis bene charus,
Augustus patriæ verus, Trajanus & alter,
Jova diu cuius regimen fascesque secundet.
ÆMILIA ET JULIANA diu veneranda Debora
Vivat, & ex voto constante salute fruatur.
Et vivat LUDOVICUS FRIDERICUS in annos
Innumeros, patriæ fulcrum felixque Propago,
Cumque illo Conjux vivat simul ANNA SOPHIA.
Let a Parens non fucata pietatis alumna.
Floreat atque diu vivat celstissima Proles,
Vivant, opto, diu dulcissima corcula vivant,
Delicium patriæ magnum, spes atque Parentum
Floreat ANTONIUS FRIDERICUS, prima Parentum

Virtus



Virtus in virtute pia, spe & pace perenni.
Floreat & vivat faustè JULIANA SOPHIA,
Virtutes diuesque AVIAE MATRIS QVE sequatur.
Vivat WILLHELMUS LUDWIG pietateque crescat.
ALBERT ANTONIUS vivatque secundus, ut omni
Flosculus acceptus, premat & vestigia PATRIS.
Salva sit AEMILIA & JULIANA, AVIAM QVE sequatur.
Ac bujus compos fiat voti ANNA SOPHIA.
Hos Tutelares patrie mitidasque CORONAS
Cum primis cunctis diâ virtute NEPOTES,
Omnigena NUMEN poyd bonitate coronet.
Celsi bujus Aule vivant omnesque Ministri.
Sic benedita DOMUS SCHWARZBURGENSIS sine fine!

Ut autem in praesenti celissimis quibusdam Natalibus, haec tenus quidem, sed sine publico programmate ob evitandas impensis typographicis celebratis, post liminio publicè aliqua ex parte etiam satis fiat, sequentes nostræ Scholæ Alumni à pietate & sedulitate apprimè commendabiles has pieatis partes expleturi brevibus quibusdam orationaculis præcipue noven- malibus ad præbias dispositiunculas elaboratis memoriterque extra cathe- dram more consueto recitandis in publicum pia vota nuncupando prodire sustinebunt, quorum nomina secundum materiarum Ordinem hic inseran- tur jubet consuetudo:

Prologum gratulationes & strenas per totum Januarium olim usitatas fuisse dicturum & animos ad auscultationem paraturum representabit Johann Paulus Lauthal Hemlebiensis.

Totius anni corona delineandæ vacabit Sebastian Seyfart Werningshusanus.

Coronam vernam cum voto novennali in genere adumbrabit Johann Philippus Linck Erfurtensis.

Coronam estivam cum voto Christian Gottfried Rose Alsterensis.

Coronam autumnalem cum voto Johannes Brauer Alsterensis.

Coronam hyemalem cum voto Christian Vogel Mertensrietenensis

Sequentes gratulabuntur de felici novi anni auspicio in genere & qui- dem singulis tribus statibus Hebraicâ gratulatione Johann Frider. Hiepe Me- ga Sommerd.

Hujus interpretem ager Johann Gotthilff Rindervater / Ober- bœns,

besens. In specie humillimè gratulabuntur ad coronas potissimum & quantum fieri potest, alludentes Celsissimam ac Illustrissimo Comiti ac Domino DN. ALBERTO ANTONIO &c. carmine latino heroico *Johann Augustus Hanckel Franckhusan*, optimi Parentis optimus filius votisque meis lustralibus ex voto respondens.

Celsissimam ac Illustrissimam Comiti ac Dominae EMILLE JULIANÆ &c. versibus Teutonicis *Georg Caspar Ziegenbein Franckhusan*.

Celsissimi ac Illustrissimo Comiti ac Domino DN. LUDOVICO FREDERICO &c. Latinâ oratiunculâ *Casparus Schall Franckhusan*.

Serenissimam Principi ac Dominae DN. ANNÆ SOPHIAE &c. Germanicè *Nicolaus Heinrichus Breitung Kelbran*.

Celsissimis ac Illustrissimis Cornitibus JUNIORIBUS Jesuclumestate, sapientia &c. proficentem strenue loco appreccabitur *Joh. Heinrichus Linderman Franckhusan*.

Illustri hujus loco DICASTERIO & PRÆTECTURIS novum annum humiliiter gratulabitur *Antonius Ludovicus Megander Franckhusan*.

Plurimum Reverendo hujus loci MINISTERIO gratulabitur Græca acclamatione *Johann Martinus Struv Ebelebiens*.

Amplissimo Ordini SENATORIO *Johann Caspar Fischer Franckhusan*.

Scholæ & toti Civitati *Christoph. Conradus Hase Franckhusan*

Epilogum brevem votorum anacephalæosin & eucharistiam pro præsentia continentem repræsentabit *Andreas Grossman Sangerhusan*.

Ne de vestra pietate, o benignissima hujus Civitatis & Patriæ Numina & Lumina, in Deum, fidelitatem in Aulam Celsissimam & facilitatem in Scholam nostram subdubitare videar, prolixiori invitandi formulâ abstineo, certâ spe fretus fore, ut à nostris petitis non alieni sitis futuri, sed iisdem faventissimè subscripturi, & oratiunculas votivas inter suavem musices harmoniam odâ latinâ & germanicâ exhibendam vacivas aures præbituri. Nihil addo nisi votum novennale, paucis quidem verbis sed animo prolixissimo conceptum: Sit benè vobis bene vestratibus, benè toti Civitati, Omnes & singuli annate & perennate Feliciter, Feliciter. Scrib. Franckhusan d. V. Calend. Januar. A. O. R. MDCCII.




X2523400

KO78

701

B.I.G.



Q.K.128.12.

בשם אלוה טעטו שנות טוביה :

CORONA ORBIS ANNUI

&
SCHVVARZBURGICI

IN ACTU ORATORIO

Hebraico-Græco-Latino-Germanico
cum votis pro felici novi anni auspicio
*In Schola Francohusana d. Januar. A. 1702.
conspicui exhibenda,*

ad cujus oratiunculas in prosa & ligata
audiendas

Summè Venerabiles

DNN. SUPERIORES INSPECTO-
RES, ac universum LITERATORUM
hisce studiis faventium ordinem

submisæ, honorificè ac officiosè invitat

M. JOHANNES HOFFMANN/ S.F.R.

Anno

En nos paLMa Del Largà bonItate Coronat!

ERFFURTI, Typis GEORG. HENRICI MÜLLERI.

BIBLIOTHECA
PONIUKAVIANA

